

5. PANORMITANA

Suspensionis a divinis, Privationis vocis activae et passivae, Relegationis
(R. P. Augustinus – S. C. pro Religiosis et Institutis Saecularibus)
(24 novembris 1973)

FACTI SPECIES. - 1. Rev. P. Gerardus, Minister Provincialis Ordinis una cum suo Definitorio Provinciae P., litteris diei 3 novembris 1971 ad Rev.mum Ministrum Generalem, formaliter accusavit R. P. Augustinum, olim Ministrum Provinciale, utpote reum «di una inqualificabile campagna diffamatoria per mezzo di lettere anonime dattiloscritte contro i Frati e contro i Superiori maggiori, inviate anche a destinatari fuori dell'Ordine».

Has litteras adscribendas esse R. P. Augustino confirmaverunt duo periti graphici, id est Prof. A. et Prof. M., tamquam periti habiti a Tribunalibus ecclesiasticis. His in litteris Definitorium Generale Ordinis X. invenit haec crimina:

«1) istigazione alla disobbedienza ai Superiori Provinciali legittimamente costituiti; 2) oltraggio ai Superiori maggiori; 3) incitamento ad animosità contro i medesimi; 4) offesa all'onore e alla buona fama dei Superiori e dei Confratelli ».

2. Decreto diei 2 novembris 1971 Minister Generalis, haec delicta probata putans, sequentes poenas P. Augustino inflixit: 1) suspensionem a divinis per integrum annum; 2) privationem vocis activae et passivae per tria triennia capitularia; 3) prohibitionem abeundi a Provincia durante triennio absque oboedientia scripta Rev.mi P. Generalis.

Die 4 decembris 1971, P. Augustinus recursum interposuit ad S. C. pro Religiosis et Institutis Saecularibus, quae respondit eum hortando «a voler prestare un doveroso, anche se doloroso, ossequio di ubbidienza a quanto i Superiori hanno disposto o potranno disporre in seguito».

Superioribus Maioribus Ordinis X., idem S. Dicasterium «riconosce il diritto di punire esemplarmente e proporzionalmente il P. Agostino e, nel caso, sana quelle irregolarità di natura sanabili eventualmente commesse nella procedura», et addit: «Semmai si richiami l'interessato perché coram Definitorio Generali dia ragione delle lettere anonime, la cui paternità viene a lui attribuita. Se il predetto Padre si ritiene leso nei suoi diritti soggettivi ... potrà adire la sezione amministrativa della Segnatura Apostolica ».

3. Reapse die 18 martii 1972, P. Augustinus recurrebat ad N. S. Tribunal quaterens ut decretum Ministri Generalis sui Ordinis, diei 20 novembris 1971, irritum declararetur ob violationem legis, ad normam n. 106 Const. Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae*.

Habitibus restrictibus cl. Adv.ti Hermanni Graziani pro actore et cl. Adv.ti Joseph Spinelli pro Ordine convento, nec non animadversionibus Rev.mi Francisci Salerno Adv.ti Publicae Administrationis et Rev.mi Aemilii Eid, Promotoris Iustitiae N. S. Tribunalis, die 10 octobris 1972, in Congressu habito coram Cardinali Praefecto decretum est: «*Recursum admittendum esse ad disceptationem*».

4. Procurator Generalis Ordinis, Rev.dus P. Aegidius optans ut quam primum definitiva sententia pronuntiaretur de controversia, epistula diei 2 novembris 1972, rogavit Sacram Congregationem pro Religiosis ut, ad normam Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae*, n. 107 deferret ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal iudicium circa meritum cause Patris Augustini.

Attamen, Exc.mus Secretarius S. C. pro Religiosis, die 6 novembris 1972, ita ei

respondebat: «Al punto in cui sono pervenute le cose e tenuto presente che il Sacro Dicastero, almeno indirettamente è parte in causa, e che il ricorso alla Sectio Altera è stato interposto dal P. Agostino per motivi di illegittimità e non di merito, questa Sacra Congregazione si considera incompetente a concedere la Commissione da Lei richiesta. Qualora la Sectio Altera ritenga, invece, di dover richiedere la Commissio Pontificia da parte di questo Dicastero, nulla si ha in contrario a che il Supremo Tribunale tratti la causa anche nel merito».

Itaque Patronus Ordinis X. Adv. I. Spinelli, petitione die 10 novembris 1972 exarata, postulavit ut «Supremum istud Tribunal impetraret facultatem iudicandi etiam "de merito causae"».

Quia vero agitur de gratia pro una parte, altera contradicente, iuxta praxim Signaturae Apostolicae non est eius hoc beneficium a Summo Pontifice petere.

5. Quapropter die 11 decembris 1972, dubium concordatum est hac formula: «An constet de violatione legis sive in procedendo sive in decernendo ex parte Ministri Generalis Ordinis X. actu diei 20 novembris 1971, confirmato a S. C. pro Religiosis et Institutis Saecularibus die 19 februarii 1972».

IN IURE. - 6. Poenae (suspensio a divinis, privatio vocis activae et passivae, necnon relegatio; cfr. cann. 2278, 2255, § 2; 2291, n. 11; 2331 § 2; 2298, n. 8) P. Augustino irrogatae non sunt iudicio criminali, aut «ex informata conscientia», sed ad modum *praecepti poenalis*, prout praevideatur a Codice cann. 2310, 1933, § 4) et a iure particulari Ordinis X.

Praeceptum poenale est remedium gravius quam monitio et correptio (cc. 2306-2309), quod applicatur «monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat»; praeepto autem «quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis» (c. 2310).

Patet igitur: «quanam norma Ordinarius in praeepto punitive ferendo procedere possit et regulariter debeat. Primo qui suspicionibus locum dat monebitur paterne, dein adhibetur correptio privata aut publica; tum praeeptum dabitur de re facienda aut omittenda, comminans poenam latae aut ferendae sententiae; tandem poena in reum contumacem feretur aut contracta declarabitur» (A. VERMEERSCH - I. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, t. III, n. 504).

7. Ut praeeptum poenale legitime irrogetur, requiritur ut: a) delictum sit certum; b) Superior sit competens; c) reus audiatur idemque iure utatur quo pollet sese defendendi; d) testes, si qui sint, audiantur et periti; e) forma praescripta servetur in eo infligendo.

a) Certitudo delicti praescribitur ad validitatem praeepti poenalis a can. 1933, § 4. Haec est peculiaris applicatio formae extraiudicialis principii generalis can. 2233, § 1: «Nulla poena infligi potest, nisi constet delictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum». Certitudo delicti secumfert, ut patet, certitudinem imputabilitatis reo convento, criminis de quo agitur.

b) Iurisperiti concorditer tenent omnino necesse esse ut reus audiatur atque seipsum defendere possit. Scripsit inter veteres PANORMITANUS: «Formalitas appellationis est de iure positivo ipsa substantia appellationis vero de *iure natura-*

li: est enim quaedam defensio seu praesidium *innocentiae*» (*Commentaria in V libros decretalium*, in lib. II, tit. 28, rubr. n. 6. Inter recentiores cfr. e gr. A. PAILLOT, in *Dictionnaire de Droit canonique*, t. 7, col. 160, V. *Précepte pénal*; K. HOFMANN, *Die Verwaltung im Kanonischen Recht*, p. 499; praesertim KL. MÖRSDROF, *Rechtsprechung und Verwaltung im Kanonischen Recht*, 1941, p. 166, qui ait hic agi de exigentia aequitatis in iure naturali fundata). Nostrum autem S. Tribunal firmiter et inhaesitanter tenet ius sese defendendi reo competere ex ipso iure naturae. Nobiscum plene concordat ius particulare incliti Ordinis X.

8. Modus procedendi in causis disciplinariis, contentiosis, criminalibus Ordinis X., auctoritate Capituli Generalis promulgatus, haec statuit ad art. 10 § 1: «in processu administrativo causam seu negotium ad rigorem iuris instrui et expediri haud requiritur, sed sufficit ut, legibus iustitiae et aequitatis servatis et salvis peculiaribus praescriptis, remedia ex bono et aequo adhibeantur». Articulus 22 haec habet: «Superior Maior, praeterquam remedium poenale et poenitentiam, poenam quoque ad modum praecepti tum statuere tum infligere potest: "... 2° - Poenam vero ad modum praecepti infligit, cum poenam iam praecedenti lege vel praecepto, sive determinate sive indeterminate, statutam, declarat vel irrogat, prouti agitur de poena latae vel ferendae sententiae"». Articulus 33, § 1 circa eundem «Modum procedendi» praecipit: «Superior processum poenalem ad modum praecepti adhibens, a servandis principiis aequitatis tum iuris naturalis tum iuris positivi non dispensatur».

9. Quia, uti vidimus, ad poenam infligendam, requiritur delicti certitudo, quaeritur quanti ponderis dicendae sint, ad hanc gignendam certitudinem, peritiae calligraphicae.

«Peritia calligraphica – scribunt F. X. WERNZ-P. VIDAL – est species peritiae tunc adhibenda cum dubitatur num quis scriptum aliquod exaravit. Materialis auctor scripti potest negare a se esse exaratum vel etiam accidere potest ut obierit, et cognitio auctoris potest pertinere ad substantiam controversiae vel saltem esse connexa cum aliis probationibus, quarum vis probandi ab illa cognitione plus minus pendeat ... Peritia in arte calligraphica exercetur per comparisonem scripti quod certae cuidam personae tribuitur cum alio scripto ab illa persona certo exarato» (*Ius canonicum*, vol. VI *De Processibus*, n. 497).

Iuxta probatos auctores, peritorum sententiae, etsi concordantes, de authenticitate alicuius scripturae, ad summum constituere valent probationem semiplenam (cfr. e. gr. A. REIFFENSTUEL, *Ius Canonicum Universum*, L. II, tit. XXII, n. 166), ita ut ab iisdem comparatio litterarum dicatur «valde periculosa probatio».

Scribit ad hoc F. L. FERRARIS: «Non pauci enim reperiuntur, qui alterius manum ita imitantur ac fingunt, ut ipsissima alterius scriptura esse, censeatur, et varios tales se vidisse referunt Marsilius, in *Rubric. Cod. de Probat.*, n. 318; Maschardus, *de Probationibus*, conclus. 330, num. 1; ...

Hinc comparatio litterarum de se sola non sufficit ad plene probandum scripturam manu cuiuspiam esse factam, sed ad id requiruntur una simul alia adminicula, ut proprii scribentis sigilli appositio, subscriptio testium, auctorum

attestatio, quod ipsimet viderint scripturam illam a tali fuisse factam tali die tali-que loco. Authent. seu Novell. 73, c. *Si quis* 1 de Instrum. cautela et fide, coll. 6; Glossa in Authentic. *At si contractus*, verb. *Sali*, et ibi Bartolus, *Cod. de Fide instrumentor.*; Mascard., cit. concl. 330, n. 1 et sqq.; Menochius, cit. cas. 114 per totum; Reiff., I. c. n. 167, et alii. Unde cautissime debent quoad hoc procedere iudices, rite ac mature omnia examinando et adhibendo, alios in arte peritos; ut enim advertitur in Authentic. seu Novella 73, in praefatione *de Instrumentor. Cautela et fide*, eiusdem hominis scriptura per vitae decursum solet mutari, cum non ita quis scribat iuvenis et robustus, ac senex, et forte tremens, et saepe etiam languor litterarum dissimilitudinem inducat, et calami atque atramenti immutatio similitudinis litterarum per omnia auferat puritatem, ibi: *litterarum dissimilitudinem saepe quidem facit, non enim quid scribit iuvenis, et robustus, ac senex tremens, saepe autem, et languor hoc facit, et quidem hoc dicimus, quando calami et atramenti immutatio, similitudinis per omnia aufert puritatem*». (F. L. FERRARIS, *Bibliotheca, V. Scripturae seu Instrumenta*, Romae 1891, Vol. VII, n. 21-22).

Item F. X. WERNZ - P. VIDAL: «In defectu scripturae alias recognitae aut authenticae, aliae scripturae prorsus privatae etiam inservire possunt pro comparatione; sed illis ius peculiarem vim non tribuit, sed in singulis casibus, quid possit deduci ex hac comparatione iudex aestimare debet. Valde quoque periculosa est illa collatio cum scripto ad dictationem peritorum vel iudicis in ipso tribunali exarato, praesertim si cum illo conferri debeat scriptura paulo antiquior; notum quippe est in eadem persona scribendi modum peculiarem haud parum immutari temporis lapsu, nec oblivioni dandum calligraphiam posse in experimento facto studiose immutari in eum finem ut comparatio vana aut falsa evadat» (*De Processibus*, n. 497).

Quaerentes utrum duae semiplenae probationes facerent unam plenam, Veteres responderunt affirmative, «si coniungantur, et ad unum eundemque finem tendant» (F. SCHMALZGRUEBER, *Ius ecclesiasticum universum*, L. II, tit. XIX, n. 16); communiter tamen excipientes «*causas criminales*, in quibus etsi duae semiplenae probationes sufficiant ad effectum torquendi, inquirendi, suspendendi, non tamen sufficiunt, ut procedi ad condemnandum possit, nisi tales sint, quae coniunctae pariant moralem de crimine, de quo in reum inquiretur, certitudinem; quia ut *leg. fin. Cod. de probat.* habetur, in iis causis requiruntur probationes luce meridiana clariores» (F. SCHMALZGRUEBER, *ibid.* n. 17); item D. BONIS: «communiter doctores excipiunt: 1° *causas criminales*, in quibus duae pluresve semi-plenae probationes non sufficiunt ad condemnandum, sed solum ad inquirendum; quia nempe in eiusmodi causis requiruntur probationes luce meridiana clariores; prout dicitur in lege ultima tituli *de Probationibus*, in Iustiniano codice» (*De Iudiciis Ecclesiasticis*, ed. II, vol. I, sect. VI, cap. I, quaestio 7a. Cfr. etiam M. DE LUCA, *De Iudiciis Ecclesiasticis Civilibus*, ed. 2^a, n. 400). Quapropter can. 1804, § 1 iudicem monet: «Iudex non peritorum tantum conclusiones etsi concordantes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat». Cfr. etiam e. gr. F.M. CAPPELLO, *Summa Iuris canonici*, vol. III, ed. 4, n. 280; MATTH. A. CORONATA, *Institutiones Iuris canonici*, vol. III, ed. 5,

n. 1330). Cum his plene concordat recta Iurisprudencia (cfr. S. R. Rotae Decisiones, vol. XVI, dec. 22, n. 19, pp. 204-205; vol. XVI, dec. 34, n. 6, p. 298-299; vol. XX, dec. 41, n. 9, p. 373; vol. XXV, dec. 35, n. 12, p. 303).

IN FACTO. - 10. Videndum est utrum quae acta sunt in Rev. Patrem Augustinum a Ministro Generali Ordinis X. et a S. C. pro Religiosis, sint contra legem, id est errorem iuris sive in procedendo sive in decernendo contineant.

S. C. pro Religiosis, epistula diei 19 februarii 1972, sanavit vitia sanabilia forte in procedendo perpetrata, sed putavit se non posse sanare vitium defectus auditionis et defensionis rei, ideoque monuit R. P. Ministrum Generalem Ordinis X. ut «eum, cuius interest, vocet, ut coram Definitorio Generali rationem reddat epistularum sine nomine, quarum ipse auctor putatur».

Adnotandum est S. C. pro Religiosis habuisse hunc defectum tamquam violationem legis, quae sanari non potest.

Ipse advocatus Publicae Administrationis declarat: «decretum impugnatum posse haberi in parte irritum, sub specie formali ..., atque ne loqui posset de recusato iure se defendendi, (Sacra Congregatio) monuit Superiores Maiores ut ei (P. Augustino) contestarentur epistulae sine nomine, quarum auctor putabatur». Ne post hanc invitationem quidem R. P. Augustinus auditus est.

11. Patronus tamen Ordinis conventi contendit formam seu proceduram per decretum poenale exigere auditionem rei ad aequitatem, non ad iustitiam.

Ante omnia respondendum est quod, praesertim in Ecclesia, nec contra unum aequitatis praeceptum Ordini religioso licet procedere in sodales suos; adhuc minus, errore patefacto, in eo perseverare.

Praeterea quae sunt aequitatis, saltem in casu, legem quoque positivam constituunt pro Ordine X. Denique, ut in iure vidimus, facultas sese defendendi pertinet ad ius naturale.

12. Nec obstat assertum partis conventae, quod R. P. Augustinus potuisset audiri a S. C. pro Religiosis. Actus enim administrativus, ab initio impugnatus, est Ministri Generalis; praeterea, si reo agnoscitur ius provocandi ad Sacram Congregationem et ad Signaturam Apostolicam ut audiatur et sese defendere possit, a fortiori, cum agatur proprie de iudicio formali illegitimitatis, idem reus in ea conditione ponendus erat ut se defendere posset ab ipso exordio actionis poenalis contra eum.

Patet ergo legis violationem, id est errorem iuris in procedendo, patratam esse hoc in casu, quia R. P. Augustinus nec auditus est nec potuit se defendere, antequam ei poenae canonicae infligerentur.

13. Nec tantum in procedendo, sed et in decemendo lex violata est.

R. P. Minister Provincialis Ordinis X. et Definitores Provinciales probationem delictorum hauserunt e duobus peritiis calligraphicis. «Le perizie grafiche hanno rilevato con certezza morale che le correzioni a penna sopra i dattiloscritti anonimi, fatti i debiti raffronti con inoppugnabili e numerosi scritti autografi, sono del P. Agostino, che pertanto deve ritenersi il responsabile principale delle

anonime; che la macchina usata, per la quasi totalità delle anonime e delle buste è appartenuta a P. Abondio».

Notandum est P. Augustinum neque a Superioribus suis aestimari tamquam unicum auctorem epistularum anonymarum, quae aliunde aliena machina scriptoria exaratae sunt. Ad vitandum ergo errorem iudicii et sententiam iustam ferendam, ali audiendi erant nec non ipse P. Augustinus, ut perspicue constaret de uniuscuiusque responsabilitate.

Correctiones manu factae in epistulis anonymis, machina scriptoria exaratis, sunt paucissimae et parvi momenti, ita ut dubias reddant conclusiones peritiarum.

Habetur ergo error iuris in decernendo gravissimas poenas in P. Augustinum, quia deest debita probatio responsabilitatis ipsius. Consequenter in errorem iuris in decernendo incidit quoque S. C. pro Religiosis, utpote quae Superiorum Religiosorum decisionem confirmavit, hac solum de causa, quia «si deve logicamente supporre che – attraverso prove non sospette né scarse di positiva attendibilità – il Definitorio Generale abbia raggiunto la certezza e tuttora sia certo circa la colpevolezza dei reati di cui Ella (P. Agostino) è stato incriminato»; etenim «facta non praesumuntur, sed rite probanda sunt» (cfr. cann. 1747-1748).

14. Sollemniter tamen E.mi Partes edixerunt invaliditatem decreti poenalis, de quo agitur, probationem non constituere innocentiae R. P. Augustini. Iisdem enim aut aliis poenis ipse plecti poterit, dummodo eius imputabilitas probata sit ad normam iuris.

Quibus omnibus in iure et in facto sedulo perpensis Collegium iudicans, Christi nomine invocato, proposito dubio respondendum decrevit atque respondet: «Decretum Ministri Generalis Ordinis X. diei 20 novembris 1971, notificatum die 27 novembris 1971, irritum esse ob errorem iuris sive in procedendo sive in decernendo, in casu».

Romae, in sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 24 novembris 1973.

DINUS Card. STAFFA, Praefectus et Ponens; + ALOISIUM Card. TRAGLIA
+ PAULUS Card. MARELLA; AEGIDIUS Card. VAGNOZZI
ANTONIUS Card. SAMORÉ; PAULUS Card. BÉRTOLI
IACOBUS Card. VIOLARDO; HUMBERTUS Card. MOZZONI